(*a*) Angustæ vicissitudines in quibus duobus ab hinc annis versor, impedimento fuère quod opusculum tractans de meis forcipibus, illarumque commoda demonstrans in lucem nondum prodierit. Quum prævidere necdum liceat quandonam illa veniet felix dies, in qua publici juris potero facere meas lucubrationes, impulsus desiderio utilitatis publicæ, notas statui facere Artificibus, saltem immagines ferramentorum, quæ inveni aut reformavi ad imminuendos labores, et ad effugienda illa pericula, quæ persæpè occurrunt in curatione calculo vesicæ urinariæ laborantium.

(*b*) Doctor Rudtorfer Viennæ Austriæ descripsit idiomate germanico modum quo Cel. Venetiarum Chirurgus Ill. Prof. Pajola curat calculo laborantes: innumerabiles autem, gravesque in illa descriptione commisit errores, quos, ut gratus Ill. Pajolæ in hac curatione discipulus, castigandos in meo opusculo putavi.

NOVUM AUXILIUM

EXPEDIENDI CALCULI IN COLLO VESICÆ URINARIÆ

DETENTI POST SECTIONEM LATERALEM, (*a*)

OPE DUARUM FORCIPUM NOVÆ CONFORMATIONIS.

ACCEDIT BREVIS CASTIGATIO ERRORUM

QUI IN DESCRIPTAM METHODUM IMPROPRIE

dictam *Pajolanam* irrepsêre. (*b*)

AUCTORE

XISTO NOBILI A LEWKOWICZ

LITHUANIENSI

MEDICINÆ ET CHIRURGIÆ DOCTORE

CHIRURGO PENES EXERCITUS GALLIÆ.

Valdoliti : Typis Viduæ Santander et filiorum ejus.

ANNO MDCCCXI.

ILLUSTRI DOMINO DOMINO

HEURTELOUP

MEDICINÆ ET CHIRURGIÆ DOCTORI

PRINCIPI FACILE CHIRURGO PER UNIVERSAS COPIAS

POTENTISSIMI IMPERATORIS GALLORUM
Inspectori generali muneris sanitatem spectantis

LIBERO BARONI IMPERII

PLURIMARUM ACADEMIARUM, UNIVERSITATUM,

ATQUE PHILOLOGICARUM SOCIETATUM SODALI

ETC. ETC. ETC.

Viro omni genere Scientiarum ac Artium insigni, necnon summis in Rempublicam litterariam meritis præclaro.

IN DOCUMENTUM GRATI ANIMI ATQUE VENERATIONIS

AUCTOR

D. D. D.

Mihi vero aliquid eorum quæ nondum inventa sunt, invenire, quodque inventum quam non inventum præstiterit scientiæ scopus, munusque esse videtur; atque inchoata et imperfecta ad finem opera perducere, consimile est. Hip. *lib.* de Art. *c. 1. p.* 146.

EXPLANATIO TABULARUM.

Tab: II. Fig. 5. exhibet meas forcipes capto calculo in diametro longitudinali apertas: non quia ita captus extrahi é vesica queat, sed solummodo eâ mente sic incidendas existimavi, ut claré appareant commoda conformationis, quæ quidem reapsè sunt tanta, ut omnes illi è primariis artificibus Germaniæ, Galliæ, Italiæ, nec non Hispaniæ quos novi, et quibus illas mostravi facilè consentiunt dandam esse conformationem mearum forcipum omnibus in chirurgicis curationibus usitatis forcipibus, imprimis verò illis, quæ globulis sclopetariis, aut heterogeneis corporibus extrahendis dicatæ ab artificibus hucusque fuère.

Ut silentio hic prætercam caeteros, sufficit authoritatis gratia solus Celeberrimus Doct. Percy, Liber Baro Imperii, vir summi ingenii, auctor et ipse forcipum pro extrahendis globulis sclopetariis, qui benè examinatis ferramentis quæ pro lithotomia instituenda feci, utens humanissimis et amantissimis verbis honorificè illa comprobavit; quod proprium est hominibus summa et urbanitate præditis, et comitate: de forcipibus autem meis non modo significavit, imo verò declaravit mihi eandem quam caeteri opinionem suam: Laudari à laudato viro.

Figura 6. Simulat forcipes auxiliarias, quarum ope positionem seu situm calculi, in vesica adhuc latitantis, facillimè, ad mentem Celsi immutare valeo, et quod summam rei in mea calculosorum curatione sistit, nempe momento extractionis, posteaquam simplici manuum tractatione perveni ad capiendum calculum majore forcipe in exoptata positione, tum forcipibus auxiliariis capio eundem ex oppositis faciebus, sicque circumdo, aut potius obvolvo calculum rostris mearum forcipum, et tali modo munio ac defendo collum vesicæ à convulneratione, et simul vito periculum, ne calculus effugiat è rostris forcipum, quod commodum certé non est parvi prætii in hac curatione.

Levis invenitur in hac icone defectus, culpa incisoris, annuli scilicet manubrii in adtactu esse debent, dum forcipes sunt clausæ, rostrum autem apertum sit necesse est, ad dimidium circiter lineæ, ob causas alicubi alibi exponendas.

Tab. I. Catheteres sulcatos, seu itineraria, minimé híc incidenda putavi; utor enim iisdem quibus Celeberrimus Præceptor meus utitur. In eo solummodo varius sum, quod scilicet auctoritate impulsus Ill. Camper (Demonst. Anatom. Pathol.) præstò habeo in apparatu, tum specilla pro explorandis ægris, cum catheteres sulcatos, qui ad formam Ravianam, Chelseldenianam et Sharpii constructi, accommodatissimi, aptissimique inventi sunt ad explorandum, et ad curandum cujuscumque fuerit ætatis æger calculô laborans.

Fig. I. Refert meum Lithotomum, seu Vretrotomum.

Nôrunt utique artifices eruditi ferramenta quibus Cell. Lecat utebatur, quasve inmutationes tractu temporis, in illis ipse fecerat.

Ill. Prof. Pajola adscivit ex illis Catheterem sulcatum, Vretrotomum lanciformem, Cistitomum simplicem (Gorgeret-Cistitome) Conductorem, sive Cochlear oblongum (Gorgeret.) Forcipes vulgares ac ferramentum, vulgo Cochlear dictum (la Curette) ad extrahendas calculi particulas dicatum. Habuit Celeb. Lecat Conductorem-Cistitomo-Dilatatorium (Gorgeret-Cistotome-Dilatatoire) quod ferramentum ex tribus conflatum, ob compositam mecanicam minus aptum erat.

Ill. Kern eximius Pajolæ in lithotomia discipulus, nunc Scholæ Practicæ Chirurgiæ Vindobonæ Austriæ Prof. P. O. propria fecit eadem ferramenta, quibus felix Venetiarum Chirurgus utitur; hac unica varietate, quod Uretrotomum prioris lanciformem reformavit, deditque illi conformationem simillimam huic, quem Fig. I. híc refert.

Nos proprium fecimus Uretrotomum Prof. Kern, at ob evitanda multa incommoda dedimus illi sulcum non ex latere dextro mucronis, prout Pajolæ, et Kernii Uretrotomi habent, sed ex sinistro ejus latere. Sectionem enim nos instituimus in regione Rhaphes dextra, qua re oblivioni jampridem immeritó traditum Cell. Petri Franco modum curandi, renovamus.

Sunt certé artificibus notæ aliundé gravissimæ rationes, cur magnus ille artifex selegerit illum Perinæi locum, pro curatione ex calculo vesicæ urinariæ laborantium perficienda.

Fig. II. Præsentat à me reformatum Cistitomum. Præstantia ejus in eo consistit, quod simpliciorem habeat structuram, et ita adcommodatam usui, ut facillima actione pollicis, et indicis

ejusdem manus qua sustinetur hocce ferramentum momento perficiendæ incisionis in prostata et in collo vesicæ, emitto scalpellum mobilem ex latebra in qua absconditur, et nunc tandem perficio incisionem. Eadem actione pollicis et indicis, possum moderare gradum elevationis scalpelli, et peracta incisione reducere illum in suam latebram; quod nequaquam præstare cum tanta facilitate valent illi artificum, qui Cistitomo Cell. Lecat utuntur.

Hæc perficio sequenti modo: nempé, pollice comprimo speciem vectis qui prominet in regione manubrii, et dum uncus foras apparuit, tunc indice propello illud tuberculum, quod litteræ A. respondet. Pars uncinata vectis delapsa recludit, ac firmat scalpellum in gradu elevationis ætati ægri curandi adaptato.

Fig. III. representat reformationem Cochlearis oblungi, vulgo Conductoris (Gorgeret) et Dilatatorii seu Speculi (Dilatatoire).

Professor Pajola duo diversa ad diversos usus dicata, adhibet ferramenta; nos conjunximus illa, et hac conjunctione vitamus reiteratas inutiliter plagæ vulneris irritationes, sicque liberamus vesicam à repetita aëris summe noxii accessione.

Non ignarus sum, jampridem excogitatum esse Speculum, sive Dilatatorium, quod videtur nullam, aut saltem superfluam reddere hanc meam reformationem; at demonstrabo alibi, et vitia illius quod jam artificibus notum est, et per consequens essentialem esse hanc reformationem, et hocce meum ferramentum in praxi maximè esse utile.

Fig. 4. exhibet clavem pro decomponendis et recomponendis ferramentis.

Ferramento, vulgo Cochlear dicto (la Curette) non utor; ideo nec incidendum hic curavi. Dicatum est illud quidem ad extrahendas calculi particulas, et ad moderandum situm seu directionem ejus, antequam cepimus illum pro extractione perficienda. Facilius veró tutiusque, hæc fiunt ope forcipum; hinc usum ejus in praxi vix ullum esse censeo; i[illegible] manu autem temeraria et incauta perniciosum, imò et letale jam sæpius fuisse, compertum habe[illegible]

Adnotavi superiús Doctorem Rudtorfer graves, innumerosque [illegible] errores in descriptione modi, quo Cell. Pajola curat calculo laborantes. Ut claré appareat e[illegible] is confessione et crassa Dr. Rudtorfer præceptorum veræ artis ignorantia, et in curandis [illegible]ara ejus ruditas, hoc proposito fidam versionem horrendæ historiæ de curatione calculo [illegible] facta, alibi referam, analisimque ejus instituam, hic loci illam nonnisi partem istius si[illegible]toriæ adducam, quæ tractat de usu, aut potius nefario abusu Cochlearis ad calculos: ill[illegible]ntum cum apparenti successu se adhibuisse auctor historiæ tradit, et practicis in diffic[illegible]alculi extractionibus tamquam novum et saluberrimum modum proponere, suadereque vi[illegible] inimé prævidens exitiosam perniciem, quam causat ægris, tali violentia à se curatis.

Auctor in decursu hujus historiæ fatetur se coactum fuisse, et [illegible], et dilatatorium repetitis vicibus immittere in vesicam, semper tamen frustra; deinde [illegible] fuisse scindere collum vesicæ, introducto in plagam vulneris cultello, sed neque hæc di[illegible] sufficiens illi fuit ad perficiendam extractionem. Tandem confitetur se tentasse findere calculu[illegible]ed duo forcipes hunc in finem adhibitæ distortæ fuêre, inani hoc conamine.

Probabile est, has difficultates ortas fuisse, quia prostatam Dr. Ru[illegible]ter prima incisione ope Cistitomi debitè non divisit, examen primum vulneris, quod confitente [illegible]o operatore, *minus exactum fuit*, ergo vitium incisionis indicare illi non potuit: si vero explor[illegible]ne detexit illud quidem, vanitas autem, sive pravus pudor, non sinebat statim vulnus nova inci[illegible]e dilatare. Denique tantis, tam violentis et tumultuosis agitationibus, eo gradu concitavit spasm[illegible] vesicæ, atque ejus colli, ut vi trahentis vinci nequaquam potuit. Sed cur necdum post dilata[illegible]nem ope cultelli institutam, extrahere valuit? Alia hic causa assignari nequit, nisi validus spasm[illegible]us vesicæ, atque colli ejus, vel demum, quia calculum transversaliter captum operator extrahere cona[illegible]tur, ossa autem pubis impedimentum sistebant invincibile. (c)

Quamquam enarratae hic nostri operatoris manustractationes, ut cuique per se patet, absque summis aegri cruciatibus fieri nequaquam possunt, descriptor tamen methodi impropriè dictae Pajolanae, videtur jam se considerare, ut absolutum à culpa, penitusque justificatum, his nempe vocabulis: *Coactus fui.* Attamen eadem haec, juxta ac si capitalia essent crimina, summis ipsemet obruebat calumniis in alio artifice eximio. Cur ita?... quia probabiliter oblectamenti causâ à meritissimo Prof. Kern haec facta putabat. Itaque si noster auctor considerasset, quod etiam ille,

(c) Prætereo hic silentio tentamina ob findendum calculum à nostro operatore facta, alicubi alib[i] nanciscar occasionem demostrandi præcepta hæc, etsi ab eximiis in arte viris tradita, ob ægri bonum negligenda omninó in praxi esse, usitatae nempé ad findendum calculum manustractationes perniciosae sunt, et persaepe letiferae evenire possunt.

non nisi angustiis ac difficultatibus casuum coactus, hos nonnumquam subiit labores; vir meritis clarus remansisset intactus, calumniarum autem promulgator, opprobriô semetipsum non maculasset. Quod quidem eo majorem inurit dedecoris notam auctori nostro, quia convitia, quae contra Prof. *Kern* foedé inhonestéque confecit, non ex observatis à semetipso, sed solummodo ex relatis hausit; nam ut ex ore ipsius pluriés publicè audivi, et alii audiverunt, nunquam ille propriis oculis vidit Professorem *Kern* curantem calculatos.

Dolendum est itaque Doctorem Rudtorfer leviter rem egisse, dum scilicet iis quae famâ et auditione accepit, extemporé ut veris credidit, nec memor fuit suscipiendum esse animum aequi censoris ad dijudicandum *verum à falso*! Vir probus ac prudens, cujus menti melior sententia inest, utique nugas vaniloquas, mordaces, ac detractatorias nunquam disseminat; ergo ille, qui similes primus spargere ausus est fabulas contra optimum virum et artificem eximium, beneficiis Majestatis Imperatoriae cumulatè ornatum, et existimatione publica vigentem, fuit absque dubio perfidus, improbus, malitiosus,

Invidus, qui, *alterius macrescit rebus opimis.*

Quì autem descriptor methodi Pajolanae homini istius notae potulas praebere aures potuit? quo jure, quâ conscientiâ, quo juditio relationes tali è fonte haustas, absque inquisitione atque investigatione veri, publici juris fecerit? sanè non intelligo. Quum itaque nostis jam benevoli lectores, nonnisi è relatione hausta esse omnia illa convitia, quae in opusculo, vel potius libello nostri operatoris contra Prof. *Kern* sparsa fuere; et quum demostraverim, ut opinor, hanc non posse provenire, nisi ab homine perdito, sine fide et conscientia recti, qui torvis omnia inspiciens, fictè et simulaté, quaestus forsan causa, in aures descriptoris methodi Pajolanae perfidè insussurravit: hinc quaenam his fides habenda, et quid de illarum promulgatore putandum? Sapienti vestro juditio committo.

His praemissis pergo ad historiam, en verba auctoris:

„Jam putavi difficultatibus cedendum esse, et calculum in vesica linquendum, *quum in mentem mihi venit*, *ut fulcrô ad fundum calculi admotô*, *providerem* ne calculus è forcipe effugiat, „quod fulcrum *vi vectis agens* juvet ad efficiendam extractionem."

Parturiunt montes! sed hac cum differentia, quod apud Poëtam, nascitur *ridiculus mus*: hic autem imprudens, inhumanum, crudeleque consilium, quod ex sequenti auctoris descriptione clarè apparebit, quae tantas continet absurditates, tam innumeros contra veram artem errores, ut si aliquis infensissimus auctoris inimicus quaesivisset illos accumulare, dubito an quidquam posset adjicere ad augendum illorum incrementum. Attendite quaeso benevoli lectores, ad partem historiae sequentem!

„Ad hoc tentamen, *deficiente alio ferramento*, *usum feci Cochlearis* ad calculos. Ideó introduxi forcipem iterum in vesicam, prehendi ad collum fere vesicae jacentem calculum, et *ut spatium praestò haberem pro immittendo Cochleari*, *forcipem profundius in vesicam propuli*: Tunc manubria forcipis sinistra manu sustinens, *arripui* dextra Cochlear, ad calculi fragmenta extrahenda dicatum: introduxi illud supra calculum in vesicam, et *talem* illi *directionem* dedi, ut summitas ferramenti, parte sua *concava*, *coincideret in fundum calculi*."

Hae expressiones luce clariùs demonstrant, nostrum operatorem amisisse in curatione praesentiam animi; sed cur scribens saltem historiam illos non animadvertit defectus?... Non attendit perspicax homo, quod propellendo vulgarem forcipem profundius in cavum vesicae, minime lucratur spatium ad immittendum Cochlear, nam manubria forcipis, capto calculo, dissita, vulnus externum et collum vesicae expandunt; per consequens, corpus tanti voluminis, ut est istud ferramentum, de quo hic sermo, absque nova vi, violentia, et absque summis aegri doloribus, immissio effici non potuit. Sed ponamus hoc moderate, et sine magnis fieri acerbitatibus, quod tamen omninò est incredibile; quid ergo nunc hac introductione Dr. Rudtorfer perfecit?... Nihil sane: si pro nihilo reputandi sunt cruciatus aegri, laesio vesicae, et imminutio, aliquot lineis spatii, per quod calculus extrahi debuit. Nunc affirmat operator, se talem illi ferramento directionem dedisse, ut parte sua *concava coincideret in fundum calculi:* Haec auctoris assertio mathematicè falsissima est; nam assumta tali mole, ut Descriptor methodi Pajolanae Tab. V. Fig. B. Num. 2. delineavit, penetrare ita ad fundum calculi summitate Cochlearis, ut illud *vi vectis* agat, tamdiù non poterit, quamdiù partes molles sub arcu ossium pubis sitae, et illa ipsa ossa integra manent.

Sequitur continuatio historiae:

„In hac positione commissi illud sustinendum ministro à dextra stanti; minister à sinistra stans mea, *immisit indicem et medium* oleo inunctos *in anum*, ut momento extractionis calculi,

„ *opposita pressione ageret in illum.* Nunc *arripui* forcipem, tenebam illam fortiter clausam, et „ incepi, repetitis vicibus, simulando figuram crucis, movere et ad me trahere. Cochlear actio- „ nem exserens in *fundum calculi* impedimento fuit, ne calculus effugeret é forcipe, *digiti in anum* „ *immissi réagebant* contra actionem Cochlearis, et tali modo succesit, ut ope Cochlearis *vi vectis agentis*, „ extractio hujus extra modum magni calculi spatio *duorum minutorum primorum* fieret, quum prius „ spatio *trium ferè quadrantum horae* hoc efficere *inutiliter conabar.*"

Profectò vir prudens, in arte versatus, et humana praecordia habens, hunc locum historiae absque indignatione legere nequaquam potest. Haec tamen omnia, non ut vitia ac errores contra veram artem iniquè patrati, sed potius ut incrementum artis, imò verò ut novum auxilium faciliores reddens extractiones calculi difficiles, ab auctore caeteris artificibus tradita sunt. Quaenam indè consequentia? En illam:

In vitium ducit culpae fuga, si caret arte.

Nondum ergo sufficiebat immissio per vulnus in vesicam Cochlearis; necesse fuit insuper duo immittere digitos in anum!... Certe pulcherrima fuit auctoris idea, ut scilicet, reagentes, ex opposita parte, digiti contra cochlearis actionem, impedirent ne calculus é forcipe excideret. At Dr. Rudtorfer! perlegas velim praeceptum, quod ipsemet scripsisti momento quinto, de extractione calculi; ubi dictum est, nec absque merito, ut forceps, hoc momento, praematur inferiora versus: cur hoc? quia nimirum ibi sitae partes molles, facilè cedunt, et minorem facientes resistentiam, suppeditant spatium pro calculo extrahendo.

Nunc autem posteaquam minister *duo* immisit *digitos*, qui reagerent contra actionem Cochlearis, credisne te auxisse spatium, quod antea angustum et insufficiens erat? Attendas quaeso insuper, actionem digitorum non immediatè in calculum exsertam esse, sed mediante intestino recto et corpore ipsius vesicae. Quid hic fit cum illis partibus? Nonne tenduntur praeter modum, nonne conquassantur, nonne laeduntur? Imò actae contra scabrietatem calculi ac ferramentorum margines, nonne periculosé lacerantur? Fiuntne illa omnia absque violentia, et nonne excrutiant aegrum crudelissimé? Ubi ergo providentia ac moderatio tua, quorsum [illegible]lla humanitas et commiseratio, quam aliis praedicas, dum illos de ruditate in manustractationib[illegible]culpas.

Denique, parce praecor, sed rei gravitas cogit animadvertere: gl[illegible]e Dr. Rudtorfer, nunc, perfecisse extractionem hujus extra modum magni calculi spatio *du[illegible]inutorum primorum*, ac si duo minuta secunda non sufficerent ad opprimendum vi hominem [illegible] altem ad infringendum adeo ejus organismum, ut vitae functiones ultrò absolvi nequeant!

Attribuis quidem hoc *beneficae actioni Cochlearis*, quod *vi vect*[illegible] juverit te in summis istis angustiis; at modus explicationis tuae palpabiliter indicat, nequ[illegible]a te habere de legibus quibus vectis agit.

Credis jam omnia te absolvisse, dum nomen alicujus scientiae, aut technicum profers vocabulum!

Sed dic rogo, ubi hipomochleon quiescebat, momento quo tuus vectis actionem exserebat? aut quid illud constituebat? Certe nihil aliud, nisi vicinae partes molles et ossa pubis fulcrum, sive potius hipomochleon vectis sistere potuerunt: hinc quantas devastationes, quantam stragem illarum partium *tuo vecte* feceris illi nonnisi haec animo concipere valent, qui funditus leges mathesis applicatae norunt. Sed quod tuam mentem penitus illae fugiant, claré ex praemissis patet. Et tamen post tantas iniquè patratas violentias, audes adhuc alios inculpare?... Dr. Rudtorfer horrendas atque atroces violentias in hac curatione à se patratas, soli massae calculi vult quidem imputare, frustrá equidem: nam res quibus quaerit suam defensionem fulcire, fatali eventu directé pugnant contra ipsum, evidentioresve reddunt suos errores. Utique ipse delineare et in aes incidere curavit imagines calculorum, qui ex illis sex à Prof. Pajola Vindobonae curatis, extracti fuere. Certé dubitandum non est, fideliter illos et ad naturam delineatos ac incisos fuisse; videmus tamen duo calculos qui ex vesica viri LIV annos nato, praesente nostro auctore 21 Julij, extracti fuerunt, multo majores fuisse prae hoc de cujus *inconsueta magnitudine* auctor hic conqueritur. Utique si soli unicé calculi adscribendae essent difficultates, ergo illae contra quas Prof. Pajola pugnavit, majores duo ex eodem aegro extrahendo calculos, absque dubio graviores etiam esse debuerunt; nihilominus noster operator nullum, vel minimum verbulum de difficultatibus illius curationis profert, quamquam mea quidem sententiá, hac ratione decenter multoque melius potuisset disculpare suos labores, quam obruendo convitiis insontem.

Continuat auctor:

„ Quamquam durante operatione aeger in *omni quantum possibili moderatione* tractatus erat, et „ haemorragia parva fuit; attamen symptomata et varia statim post operationem irruentia mala, vel

„ maximé irritabilitas exaltata, quae abdomen afficiebat, et sensus doloris, sub attactu auctus, mens„ trabant inflammationem cum debilitate instantem. Remedia quae *optima* sunt in *simili casu*, *nul*„ *lum effectum* praestabant, debilitas continuò augebatur, et aeger *tertia* post operationem *die de*„ *cessit*." Admiranda certé est hic loci inaudita impudentia Doctoris Rudtorfer, qui peractis tantis et tam nefariis in hac curatione crudelitatibus, tamen non erubescit proferre haec vocabula, quod scilicet *aeger* in decursu curationis cum cautela, et *in omni quantum possibili moderatione tractatus fuerit*. Si miser, quem curavit carnifici excruciandi gratiâ traditus fuisset, utrum hic aliquid crudelius ad illius passiones augendas excogitasset? dubito. Tandem candidus operator noster edocet nos, aegrum *tertia* post operationem *die decessisse*. Vir tamen ille quem Prof. Pajola 21 Julii curavit, et ex quo duo majores, ut superius adnotavimus, calculos extraxit, nonnisi 27 Augusti demortuus est.

Quamquam mors post curationem nonnunquam subsequens à profanis indistincté violentiae curationis, et erroribus artificis communiter imputetur; practici tamen experti, ad quintum nonnisi, diem, aegri curati mortem considerant ut effectum operationis, hac cum differentia, quod nempé persuasum apud se habeant, accidere illam posse tunc etiam, quum nullus error, nullae violentiae momentò curationis à chirurgo patratae fuerint. Illae autem mortes quae tardius post curationem accidunt, minimé jam sunt attribuendae curationi, sed potius aliis causis. Dr. Rudtorfer, cujus curati tertia semper decedunt die, abnormi statui vesicae, quem secto cadavere detegit, mortem leviter conatur imputare. Mea quidem opinione, ille nonnisi chirurgus curans habet jus attribuendi mortem statui vesicae, quem secto cadavere detegimus, qui curationem pacato animô, tranquilla mente, secundum leges verae artis absolvens, nullam adhibet vim propter festinationem, nullis desperatis mediis in usum tractis, nullis patratis in decursu curationis atrocitatibus, nonnunquam tamen amittit aegrum; at qui adinstar Doctoris Rudtorfer curaret caculosum, castâ conscientiâ imputare mortem statui vesicae minimè posset, nam ille status proprium opus esset chirurgi curantis.

Jam imponit finem noster auctor huic terribili historiae, exponendo illa, quae in secto, á se curati cadavere offendisset.

„ Secto cadavere invenimus in abdomine omnia intestina aëre turgentia, sive meteorismo affec„ ta, et in tenuibus levem inflammationem. Renes fuêre sani, sed *vesica urinaria* inventa est *omninò* in „ statu *abnormi*; crassicies ad fundum ejus fuit *linearum decem*: superficies interna magna ex par„ te *incrustata fuit calculosa materie*; ad latus dextrum versus fundum vesicae *profundum*, et in „ substantiam ejus *penetrans ulcus* observabatur, quod probabiliter impressione scabrosae *superficiei* „ calculi effectum fuit. In collo vesicae dilatato, videre erat signa superficialis gangraenae."

Profectò haec descriptio luce clarius ostendit, Doctorem Rudtorfer aut omnino nullos, benemeritos de arte et litteris auctores in hac materia legisse, aut illos non intellexisse, dum tantos in hac historia errores expromit. Exponendo autem observata in cadavere, videtur noster auctor ea duci opinione, quod scilicet vesica laedi non potest, nisi ferramento scindente: sicque immemor est hujus veritatis practicae, nempe omnes laesiones in quacumque corporis nostri parte, plenas esse periculi, aut saltem difficilius curari, dum rudi contusione, violenta conquassatione, nec non atroci productae sunt attritu. Cel. Trant de incauto usu forcipis disserens, haec profert. „ Est „ et illud animadvertendum, quod forcipis *ab imperita manu saepius* intromissi *huc illuc temeraria* jacta„ tio, eandem feré *labem vulneri infligat*, quam prodeuntis calculi auctior intulisset magnitudo, inflam„ mationem accersiri, gangraenam invitari, nonnisi morte terminandam." Trant in Hall. Diss. V. IV.

Vidi in practica schola Vindobonensi quindecim curationes calculosorum, unam in privata praxi: ex his undecim ipse Prof. Kern curavit, quinque autem reliqui, á tot ejus discipulis fuêre curati, nullus tamen decessit. Vidi unicum à Doctore Rudtorfer curatum, et tertia post curationem die decessit. Cur hoc? Ex succincta istius curationis historia apparebit. En illam: Josephus N. vir circiter triginta octo annos natus, optimi aspectus, constitutionis robustae, et gaudens bona alias valetudine, exceptis momentaneis passionibus vesicae urinariae; sed illae molestiae reliquum ejus organismum afficere non videbantur: curatus fuit à Doctore Rudtorfer in praesentia multorum medicorum et chirurgorum, in hoc coetu adfui et ego. Quamprimum tegumenta communia et musculi incisi fuêre, atque divisio prostatae facta, horrenda statim haemorrhagia se manifestavit, operator tamen nihil fecit, ut illa quocumque demum modo sisteretur, sed continuabat momenta curationis, hocque tanto tumultu, tanta violentiâ, ut natura horreat, dum illa nunc in mentem revoco. Dilatatio colli vesicae, secundum praecepta Celeberrimi Lecat et discipuli ejus Professoris Pajolae, fieri debet *sensim sine sensu*. Dr. Rudtorfer in hac curatione videns tam periculosam haemorrhagiam, vi magna et duobus ferè pressionibus brachiorum externorum Dilatatorii, dilatationem se perfecisse jam credebat, et haec est, ni fallor, causa, cur tanta opus fuit violentia, ad extrahendum mediocrem alias calculum; nam ille vix enucleatum castaneae fructum mole sua aequabat. Centiès hic forsan indice, Conductore, Dilatatorio, atque forcipibus intravit operator in vesicam; dum immittebat indicem, sub digito se habere calculum affirmabat, et cum introducebat forcipem, propellebat illam

in cavum vesicae ferè ad annulos manubrii, nec tamen Illum prehendere potuit.

Demum videns quod, omnibus illis tumultuosis et violentis insimul machinationibus, nihil efficere valens sit: jussit assistenti á sinistrá stanti, ad regionem vesicae desuper praemere, tempore quo ipse operator forcipe in vesica agitabat, quaerens calculum; minister caecè obediens dicto fecit, dumque *moderatus* noster operator continuò *clamitabat*, ut fortiter praemeret, ille tota vi, et pondere sui corporis innisus pugnis contra vesicam directis, respondebat non jam majore vi se ultrá praemere posse. Tandem quum neque hoc profuit, Dr. Rudtorfer ad anchoram suae salutis, ad essentiam primam suae inventionis, nempé ad Cochlear, ultimum refugium fecit. Introduxit itaque secundum *providum consilium*, in historia superiori adnotatum, in vesicam hoc ferramentum, et commisit illud ministro à sua dextrà stanti. Hic tamen humanissimus noster operator, hac vice non jussit amplius *indicem* et *medium* in anum immittere, quia minister stans à sinistrá, debuit contra *beneficentissimam actionem vectis*, pressione desuper *reagere*: ideo et Cochlear hac curatione subtus calculum introductum in vesicam fuit. Sed neque hac nova methodo statim calculus evulsus est, imo pluries excidebat è forcipe, et tractio tam humanè, tam moderatè fiebat, ut parum abfuit, ne operator resupinus caderet, vacuam forcipem cum impetu extrahens. Quia autem providos et prudentes habuit ministros, et eodem gradu humanitatis et praesentiae animi praeditos, ut ipse operator; ideo *benefica* Cochlearis *actio*, nec non pressio desuper ad regionem pubis, continuabantur tunc etiam cum forceps ex vesica jam diu pridem vacua extracta fuit, adeo, ut non prius Dr. Rudtorfer hos tumultus animadverteret, quam reintroducere vellet forcipem in vesicam; nunc tandem deficiente spatio, quasi è somno experrectus, videbat laborantem *vi vectis* ministrum; clamitabat itaque, ut *fidelis* suus *adjutor* remitteret, et cessaret cum illo ferramento actionem: tandem post longos et reiteratos dirissimos labores, calculus è vesica evulsus est.

Coagulum sive placentam sanguinis, finita hac crudelissima, ut ex allatis patet, curatione, propriis manibus examinavi, et certè ultrá duas libras illud coagulum, quod in vase collectum fuit, efficiebat; linteum autem, secundum morem nostri operatoris, ad anteriorem partem lectuli curatorii suspensum, tam madidum et imbutum sanguine, incrustatumq[illegible]biliter coagulo ejus fuit, ut perditum sanguinem omnem in hac inhumana curatione, tutò [illegible]que libras estimare fas sit. Profectò nihil violentius, nihil tumultuosius, nihil crudelius i[illegible]one quidquam vidi in mea vita, et ardenter opto, ut nemo amplius quid simile videat! [illegible]s omnes vidi horrore et formidine affectos pallere et fremere, tam commiseratione erga [illegible]quam indignatione contra inhumanissimum ac imprudentem operatorem, atque suos insipi[illegible]nistros.

Si aliquot hebdomadis haec curatio accidisset, priusquam des[illegible]thodus Pajolana typis fuit mandata, absque dubio haec historia sat fideliter ab ipso auc[illegible]t descripta, et vocabulis *Coactus fui*, omnia haec horrenda excusata fuissent; imo nova hao[illegible]nus elogia *benefici* ferramenti, nempe *Cochlearis*, atque incomparabilia enumerata bona, quae in extrahendo calculo *vectis actio* praestare valeat; *pressio* desuper *vesicae*, quia *reagit* contra *vectis actionem*, ut juvans extractionem difficilem, nequaquam negligenda artificibus ab auctore traderetur. Quia autem tertia die post institutam curationem aeger decessit, haberemus etiam novum et quidem evidentissimum argumentum, quod nempé mors aegri non conquassationibus, non violentiis patratis iniqué, neque haemorrhagiis adscribenda sit, sed potius statui vesicae, qui secto cadavere detegitur. Forsan ad supplementum historiae hic etiam, quocumque demum modo, arriperet auctor novam occasionem aliqua expromendi convitia contra meritissimum virum, qui ideo unicé, ut videtur, vituperandus est, quia ab illo curati haemorrhagiis non extenuantur, nam si accidunt, aquá frigida sistuntur extemplo; vituperandus est Prof. *Kern*, quia mediis violentis, aegro damnosis, verae arti ac sano juditio contrariis, in extrahendo calculo non utitur; vituperandus est, quia medicaminibus quamquam simplicissimis, symptomata post curationem aliquando irruentia, ab illo fugantur, (Vide *Kernii* Annal. Schol. Pract.) quum tamen potentissima, exquisitissima, verbo illa pharmaca, *quae in simili casu optima reputantur*, (verba nostri auctoris) in curatis á descriptore methodi Pajolanae aegris, nihil valent ad dissipandas affectiones, et aegros salvandos. Vituperandus est vir ille ideo vel maximè, quia ab illo curati tertia die non decedunt, nec status vesicae, violentiis et barbaris manuumtractationibus, causatus, ad explicandas mortes quidquam contribuit. Hoc verò, certè omnem rigorem amarissimarum vituperationum superat, quod scilicet Professor *Kern* sibi concreditos specialiter discipulos ita in curationibus chirurgicis instituendis formare ausus est, ut necdum ex illis quinque calculosis, qui á totidem ejus discipulis, me praesente, publicè curati erant, ullus demortuus est, imò omnes perfecté sanati scholam practicam dereliquerunt; quum tamen á nostro auctore ex quinque hucusque curatis (hoc scriptum fuit MDCCCIX) tres mortui sunt; duo quidem certè *benefica actione vectis* ad inferos protrusi.

Desine ergo Dr. Rudtorfer, Virum moderatum, et humanitate praecordia animata habentem, lacessire tua injusta calumnia, obtrectatione et malivolentia. Forsan velles adversos tuarum curationum casus justi-

ficare, disculpareqne, fictis, alios convitiis obruendo, at vanè hanc spem in invido foves animo: nam secundi eventus illarum etiam curationum, ubi cum summis difficultatibus extractio fiebat curante Professore *Kern*, aut ejus discipulis hanc curationem instituentibus, undé pendere possunt, nisi á moderatione curantis, et ab humana, lenique tractatione aegrorum. Conaris mortem miseri adscribere statui, qui secto cadavere apparuit, frustrá ecquidem, tuum enim est opus, quod ibi detegis! Illi artificum, qui Hippocratem, Araeteum, Celsum atque opera meritissimi Lecat, et auctores ab hoc ultimo memoratos, tum opera Ill. Deschamps, Saucerotte, Sprengel, et aliorum summi meriti auctorum studiose legerunt, noscunt malos successus in hac curatione, pro magna parte, pendere ab inconsiderata dilatatione colli vesicae, ab agitationibus, violentis concussionibus, atque à vulneratione corporis vesicae, nec non á rudi extractione ipsius calculi.

Adstiti curationi parvuli septem annorum, ex quo Prof. *Kern* feliciter extraxit calculum qui *duas uncias longus*, *unam cum dimidio latus et unam unciam crassus* seu *solidus* fuit: (*d*) hic tamen puer brevi post perfecté sanus ex schola practica exiit: quam fortunam nequaquam miser habuisset, si operator, ad perfidiendam hanc perdificilem extractionem, mediis usus esset desperatis. Certé laboriosissima fuit diuturnaque haecce curatio, nam et spasmi exoriebantur vesicae horrendi, et calculus pluries è rostro forcipis excidebat; sed cuinam quaeso mirandae apparebunt hae molestiae, posteaquam animo perpendet molem calculi, permagnam sané, habito respectu aegri hic curati.

Compertum utique, comprobatumque est, molem calculi augeri tempore, massamque ejus eo majorem fore, quo diutius in cavo vesicae commorabitur: hinc patet optimé facere, providéque consulere rebus periclitantium illos Medicos atque Chirurgos, qui, quamprimum offendunt, in quo viae urinariae vitiis affectae sunt, statim curant, ut aeger ab experto exploretur chirurgo: tali modo mature deteguntur calculosi, et euratione chirurgica facilé certissiméque salvantur, priusquam magnum calculus acquisivit in vesica volumen. (*e*)

Jam hic possem finem imponere acerbo huic, ingratoque operi: mallem utique elogia potius nostri auctoris conscribere, quam falsa ejus retorquendo argumenta et vituperationes futiles refutando, nonnulla proferre, quae neutiquam amoena illi esse possunt, sed vera sunt, et ex natura rei promanantia: supersunt tamen adhuc quaedam adjicienda, quae bono nostri auctoris, atque suo lucro esse, si velit, possunt.

Dux prudens apta bello, tempore pacis parat: sic providus facere deberet chirurgus. Doctor Rudtorfer, cum pro prima vice Cochleare usus est, profitetur hoc se fecisse *deficiente alio ferramento*. Nonne igitur et prudentius et humanitati propius fecisset, si illud tempus, quod in colligendis falsis et mendosis assertionibus, quae nonnisi ex impurissimis faucibus alicujus hominis perditi ac sordidi vocibus, prodire poterant, ac in contexendis inhonestissimis vituperationibus atque calumniis consumsit, impendisset potius ad excogitandum aliquod ferramentum, quod faciliores redderet extractiones calculi in arduis casibus: ita tamen, ut *haec facilitas* non soli chirurgo *commoda*, sed etiam aegro curando *salubris*, et *dolores* ejus hoc momento *leniens*, et *periculum convulnerationis vesicae*, nec non vicinarum partium, imminuens esset. Ne veró Dr. Rudtorfer credat me sibi infensum esse, ideo haec candidè superaddo: nemini me unquam invidisse, imo semper omnibus et singulis et optasse, et nunc optare omne bonum. Doctori autem Rudtorfer opto in-

(*d*) *Anno MDCCCVIII. pictam imaginem hujus calculi, ad naturam paratam, communicavi Ill. Prof.* Briotet, *optimo Praeceptori meo et colendo et culto, qui mihi primus et praecepta verae artis in Imperiali Vilnensi Universitate tradidit, et practicè chirurgiam edocuit. Hujus Praeclarissimi Viri summae Anatomes peritiae, Cel. Universitas Vilnensis, debet fundationem Collegii Medici ac Publicam Chirurgiae nec non Artis Obstetriciae Scholam. Quidquid autem utilis ad fulciendum juvandumque Artis divinae studium continet adhuc Anatomicum in hocce Collegio Theatrum, illud omne, pro magna parte*, sua opera ac indefessa assiduitate et elaboratum est, et perfectum.

(*e*) *Multos esse Medicos ac Chirurgos, qui negligunt hancce saluberrimam cautelam, demonstrant miseri, qui perpessis atrocissimis nonnumquam doloribus, multorum spatio annorum, tandem vitam intempestivè cum morte commutant, si fortè non incidunt in Artificem providum, qui suspicans calculum esse posse causum passionum, accurata et repetita exploratione, scrutatur cavum vesicae, animo detegendi, si quis ibi latet, calculi. At si nostris diebus, post tam accurata Celeberrimorum experimenta Chymicorum, inveniuntur Medici, qui negligunt explorationem, aut detectò etiam calculò, rejiciunt ideò chirurgicam curationem, quia sperant adhuc lithontripticis aegros à calculo sanare; tales utique in media luce obambulantes somniant.*

Juvenis unum supra viginti annum natus, quindecim annorum spatio perpessus est cruciatus ac dolores, à calculo in vesica urinaria sito, causatos; hic, quamquam optimo quidem cum successu à me curatus fuit Burgis, mense Octobre superioris anni, praesentibus Regii Collegii Chirurgiae Prof. multò tamen sua conditio melior fuisset, si Artifex quidam peritus, primis statim suarum passionum annis, hanc curationem instituisset. Massa calculi hic è vesica extracta, facile ovum Gallinae exaequare potuit.

primis circumspectionem, prudentiam et logicam in cunctis, quae dicit et facit. Opto ardentissimè praesentiam animi in arduis operationibus, nam illa deserit nostrum operatorem sat frequenter, ut ex omnibus hic pertractatis evidenter patet. Sed ut haec omnia consequi possit, eligere debet socios curationum, non adulatores nec artis ignaros, aut imbecillae mentis et vaccillantes, sed viros et in arte versatos, et satis candidos, qui illum admonerent, dum animi praesentia deficit, suppeditarentque quid agendum et quid sit omittendum, ad aegri salutem consequendam.

Salutare autem inprimis erit et aegris quos curabit, et suae famae decoroque, dum perfectionem suam in minutis horae, quibus operatio obsolvitur, non sistet, neque tot testes curationum esse velit: haec namque sola circumstantia excitat ejus vanitatem, et ad omne nefas committendum impellit, ut solummodo brevior reddatur operatio. Denique antequam, ipse aliquod ferramentum excogitabit, quod qualitatibus, superius à me adnotatis, distinctum sit oportet, si Doctori Rudtorfer arridebit, in dificili extractione calculi, loco Cochlearis, quod magnas devastationes in vesica et vicinis partibus causat, et sua *actione vectis* ad statum, quem in secto cadavere detegit, multum contribuit; utetur adinterim forcipibus, quas ego inveni, quibus ipsemet jam pluries felicissimo cum successu usus sum in mea praxi, et quorum fabricam et usum cum fiducia publici juris facio. (*f*)

Termino jam hanc meam disputationem de abusu Cochlearis, Patriarchae nostri verbis, qui Doctorem Rudtorfer, et Censorem descriptionis methodi Pajolanae Viennensem, his alloqui videtur.

,, Ast eniti verborum inhonestorum arte, quae ab aliis inventa sunt contaminare, neque quidquam emendare, sed à doctis ad indoctos inventa traducere, sanè scientiae scopus munusque id esse non videtur, sed magis naturae proditio, aut artis ignorantia: solis enim artium ignaris hoc opus competit, qui ambitiosè quidem contendunt, nequaquam tamen improbitate sua praestare, possunt, ut quae recta aliorum sunt opera calumnientur, vel non recta vituperent." (Hipp. lib. de arte.)

Expositis succinctè, quae hic exponenda erant, nunc obiter hoc solummodo superaddam me his immutationibus ferramentorum, seu reformationibus perfecisse, ut quae curatio undecim distinctis manuumtractationibus absolvebatur, curante nostro Praeceptore [illegible] illam ipsam curationem perficimus quinque solummodo motibus distinctis: et quidem tanta m[illegible] illi fiunt, ut ipsi profani, sive potius artis ignari, quibus tamen innotuit modus curan[illegible]ptoris mei et meus, facilè consentiunt, in casu necessitatis, se malle curatos esse meis f[illegible] meo potius modo curandi, quam illo qui á Cel. Pajola usitatur.


Reddidi hic inprimis rationes mearum forcipum, illas namque [illegible]enientes fore practicis, quacumque methodo calculo laborantes curent. Caetera a[illegible]ta, nonnisi illis practicorum grata futura spero, qui modum curandi Cel. Lecat, at[illegible]puli Prof. Pajolae, felicissimi Lithotomistae Venetiarum, in sua praxi sequuntur.

Ne autem propriarum laudum impudens sim buccinator, impo[illegible]em huic explanationi verbis doctissimi Falconet, qui de laterali sectione haec effatur. ,, Lateralis itaque sectio super ,, alias omnibus nominibus per se ipsa commendatur: tot insuper, quod caput est, prosperis experimentis à clarissim. Ravv comprobata, ut in legitimam spem adducamur, non infeliciores ejus, ,, dum ritè fiat, in posterum fore succesus. Quamobrem nunquam possumus satis hortari, ut quovis studio, quavis industria sectionis lateralis rationem excolant, perficiant, quibus jam explorata fuerit: alii verò inexploratam ne clamoribus et injuriis consectentur, nisi faciliorem aegrorum jacturam sibi fuisse, quam praeconceptae opinionis suae videri velint." (Falconet in Hall. Diss. V. IV.)


—— (*f*) Si placet, fieri possunt excanulationes sive sulci ex uno alterove latere, in medio superficiei externae rostri forcipis majoris, illae excanulationes conductoris vices, pro immittenda forcipe minore, agere possent: neque timendum est, ne hac modificatione forcipis, reddatur rostrum ejus debile; luce mihi res clarior est, forcipum hucusque usitatarum soliditatem plus debito fuisse. Nunc autem quum ipsa conformatio forcipis faciliorem reddit extractionem calculi, insuper secundum meum agendi modum, quamprimum superficies calculi è majoris rostro prominentes obtectae sunt ope minoris, tunc formatur *planum inclinatum* facile ad percurrendum, vel si mavis, ex duabus forcipibus fit *Cuneus*, qui praeditus est congruis qualitatibus, ad vincendam resistentiam colli vesicae, et reliquarum mollis substantiae partium.

Errata.		Corrige.
Pag. 1. lin. 31.	*Uretrotomum*	Urethrotomum.
id. lin. 38.	*mecanicam*	mechanicam.
2. lin. 23.	*ejns*	ejus.
id. lin. 54.	*ulib*	alibi.
3. lin. 6.	*calculatos*	calculosos.
id. lin. 55.	*commissi*	commisi.
4. lin. 56.	*fuere*	fuère.
id. lin. 57.	*baemorragia*	haemorrhagia.

Forcipes D. Lewkowicz




5.




6.

Ferr.ta Refor.ta D. Lewkowicz


1.



2.



3.



4.

